IN

ADVLTERIVM

DAVIDIS

AVCTORIS

EPIGRAMMA.

DVm mœchã rapit Oebaliam Priameïus hoſpes,
Occidit, & Phrygias vertit adulter opes.
Coniugio profugi Dido viduata mariti
Lethiferas adfert in ſua fata manus.
Belliger occumbit dum ſpretâ vxore Triumuir,
Dat Cleopatreo colla premenda iugo.
Quid moror? Iſaides factus riualis Vriæ
Suſtinet innocui ſanguinis eſſe reus.
Quilibet hinc diſcat (proſunt exempla monendo)
„ Illicitus quàm ſit ſemper amarus amor.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

DAVID ADVLTER.

IAm maria, & terras, & quod tegit omnia cælum
Lustrârat paribus præpes Cythereius alis,
Et totum igne suo paulatim accenderat orbem,
Cum celeri missus præceps per inane volatu
Occupat alatis Solymæa mapalia plantis.
Illic DAVIDEM *muros & tecta nouantem*
Conspicit, & vero meditantem fana Tonanti.
Protinus expallens, subitamque effusus in iram
Ingemit, & palmis tundens sua pectora, méne,
Exclamat, méne incepto desistere victum?
Nec posse Isaidem ad cultum impellere nostri?
Quippe vetor fato, fati quem Iuppiter author
Agnoscit Dominum, quem vasti cærula ponti
Regna tremunt, cuius flammis Acheronte sub imo
Ardescunt Manes, Rex ipse ardescit Auerni.
Heu pudor! heu probrum! cupienti dicere plura
Pectoris accensi vox interclusa furore est.
Arma capit, quatiensque faces se tollit in auras
Feruidus, inq; alto pendens dum singula lustrat
Gyrando, atque oculos nunc huc, nunc diuidit illuc:
Ecce Cytoriaco comentem pectine crines
Ad Solis radios vxorem cernit Vriæ

1. 2. Reg. cc. 5. & 7.

Ber-

Bersabeam, primo teneræ quæ flore iuuentæ
Vernabat, tantóque alijs præstantior ibat;
Quantò sideribus reliquis Latonia virgo
Clarior, & quantò Latoide virgine Phœbus,
Spectat marmoreæ formosum frontis honorem
Attonitus: spectat geminum, duo fulgura, lumen,
Et minio malas, & colla simillima lacti,
Æquandosq; niui dentes, & labra corallo
Denique muneribus non tot Pandora Deorum,
Non nituit Coo tot picta ab Apelle Cytheris;
Vnius in formâ, quot ei fas cernere formas.
Ergò vbi matronam talem videt, ilicet alas
Exuit, atque habiles arcus, grauidamque sagittis
Flammiferis ponens pharetram, sibi corpus inane
Aëre ab affuso mirâ vafer induit arte.
Inde, velut prædam speculatus ab æthere falco,
Desuper ima petens, toto se numine furtim
Bersabeæ insinuat, speculisque illustribus hæret
Excubitor nequam, & captâ velut arce triumphans,
Successuq; ferox, iam iam mea tela facesque,
Et pharetræ, atque arcus gestantis inutile pondus.
Cedite, ait, duo possideam cum sidera victor,
Ostensura palam quæ sit mea diâ potestas.
Vos ego mitto lubens, operæ non indiga vestræ
Illa mihi, fidasq; faces, & certa deinceps
Tela & inhaustas sunt suggestura pharetras:

Inflexumq; supercilium curuamine pulchro
Arcus erit, qui victa meo Dauidica subdet
Colla iugo, ignotoq; virum inflammabit amore.
Hæc Deus. at cæco mulier stimulata recepti
Hospitis instinctu, formæ curare decorem
Incipit, & nimiùm, nimiùm studiosa placendi,
Corpore in ornando varios adhibere paratus.
Nunc calido tortos ferro, Myrrháque madentes
Nexilibus crines in nodum colligit hamis:
Nunc sinit effusos roseâ ceruice vagari:
Nunc retegit pectus tunicâ iuuenile remotâ,
Nudatumque ostentat ebur: nunc inuida rursus
Occulit exertas obiectâ veste papillas:
Dat digitis gemmas, dat Eoa monilia collo:
Aure micant baccæ, micat ardens fronte pyropus:
Denique diuitibus se talem in cultibus offert;
Qualis odoratas tellus gremio alma virenti
Pandit opes, reuehit Taurus cum veris honorem.
Consitus huic pictus gemmabat floribus hortus,
Frondibus vmbrosus Lauri, Myrtíque frequentis:
De cuius medio violis vtrimque, crocisque
Margine conspersо, leni cum murmure cursum
Voluebat vitreus per amœna rosaria riuus:
Cui dum Bersabee solari languida flammâ,
Assidet, & riguum captans sibi frigus in æstu,
Ora, manusque lauat, blandi demulsa fluenti

Tem-

Temperie, procul ô comites, procul arbiter, inquit,
Omnis abest, gelidâ nudæ tingamur in vndâ,
Primaq; depositâ tenero de corpore veste
Desilit in latices, niueisque innixa lacertis
Findit aquas, liquidoque natans translucet in amne,
Condita ceu claro translucent lilia vitro.
Dumq; ibi Bersabee formosos abluit artus;
Ecce Sioneâ nantem sublimis ab arce
Conspicit Isâci Rector, vatesque Iehouæ
Isaides, subitoque viro nil tale timenti
Matronæ gemino Veneris puer abditus astro,
Distringit penitas traiecta per ossa medullas.
Protinus ingentes læso Rex pectore flammas
Concipit, & vulnus venis alit, inq; natanti
Defixis hærens oculis, cælestia demens
Quæ videt ora, putat, nec se declinat ab illâ:
Non secùs exardens, quàm structos si quis aceruos
Arentis stipulæ subiectis ignibus vrat.
Quid facis, infelix! quò te tua dira cupido?
Heu miserum! quò te præceps tuus impetus aufert?
An quia clam scelus est, & adhuc in mente latescit
Posse tegi speras cernenti cuncta Tonanti?
» *Mortales oculos mortalia crimina fallunt*
» *Nonnunquam, nihil est cæli quod lumina fallat.*
Quare vesano conceptum corde furorem
Excute, dum tempus, dum fas occurrere culpæ.

Nox

Nox erat, & fuſcas agitabat Cynthia bigas,
Fuſaq; per terras animalia ſomnus habebat :
Inſomnus Rex ſolus agit, flammâque voraci
Torretur, nec quid dubius fugiátve, petátve,
Inuenit, & cœco curarum fluctuat æſtu.
Luctatusque diu poſtquam ſuccumbere peſti
Se videt, & ruptas ferri rationis habenas;
Vincis, Amor, vincis, tua nec iuga deprecor, inquit,
Parce modò, & noſtro facilis ſuccurre labori :
Matronamq; vocat. Regales illa penates
Iuſſa ſubit : ſubeuntem auidis Rex obuius vlnis
Excipit amplectens, & magnum faſſus amorem,
Ne ſibi difficilem ſe præſtet, opemve recuſet
Oppletus lacrumis orat : repetitaque porrò
Oſcula dans oculis, niueo dans oſcula collo,
Ingentes promittit opes, promittit honores,
Et quæ præterea muliebria pectora tentant.
Vimque parat : ſed vi non eſt opus : illa precantis
Tangitur igne pari, & ſua mutua vulnera ſentit.
Singula quid referã? grauidus quoque ſugere tandem
Berſabeæ cœpit Regali ſemine venter.
Applaudit ſceleri DAVID, *noxâque pudendâ*
Exultans, turpi laudem de crimine ſumit.
Sed tamen aßiduâ trepidat formidine, ne cui
Delictum pateat, ne cui dicatur adulter,
» *Sollicitus : dicique malus, non eſſe, veretur.*

For-

Fortè procul Mœchæ coniux ſub mœnibus vrbis
Obſeſſæ, pro Rege ſuo bellabat Vrias:
Hunc iubet è caſtris ad Regia tecta venire.
Iuſſus adeſt, ſociâq̃ tori, natisque reuerſus
Neglectus, rectà Regalem aſcendit in aulam.
Quem ſimul ac vidit ſolio Rex fultus eburno,
Quid turmæ Iſaciæ, quid Ductor cœptet Ioab,
Quærit, & obſeſſos an adhuc defendere muros
Rabba paret. breuiter cui ſic Hittæus Vrias:
Pone metus, ſoſpes tuus eſt, Rex magne, valetque
Miles, ait, quotiesque feram clangentia pugnam
Aera cient, Martem ſumptis ſe præſtat in armis.
Sic vt Rabba pauens ad ſolos fortis Iudæ
Intremat aſpectus, animoq̃ exterritus Hannon
Victorem trepidis vix mœnibus arceat hoſtem.
Excipit Iſaides: equidem cum robora mecum,
Inuictosq̃ animos noſtræ perpendo iuuentæ;
Spes mihi non dubium palmæ promittit honorem.
Sed quoniam gemino belliq̃, viæq̃ labore
Feſſus ades, non te ſcitando plura morabor,
Vade agè, tecta redux, & pignora cara reuiſe,
Cumque tori ſociâ lætus lætam exige noctem.
Miles ad hæc: Domini Sabaoth ſub pellibus Arca
Degit, & hoſtiles ad muros belliger Iſac
Excubat inſomnis, gelidoq̃ in ceſpite Ductor
Ipſe quieturus ſub dio membra reclinat:

Hannon. Amónitarum Rex l. 2. Reg. c. 10.

Atque ego blanditias inter, lasciuaque mollis
Oscula, strata fouens vxoria gaudia carpam?
O ita Rex felix longæui sæcula viuas
Mathusalæ, ceu nulla dies tam vilis Vriam
Pectoris arguerit: vt dum foris aspera Iacob
Bella gerit, rigidique subit discrimina Martis,
Degener ipse domi gremio se coniugis abdat.
Dixerat, & spatium menso Titane diurnum,
Attulerat tenebras piceo niger Hesperus ore:
Cum positis mensis Hittæum natus Iësse
Præcipuos inter proceres accumbere secum
Imperat, & picto iuxta se collocat ostro,
Multa super Rabbâ rogitans, super Hannone multa,
Et sensim incautum largo perfundit Iâccho.
Iamque ferè medium nox egerat humida cursum,
Pronaque carpendos suadebant sidera somnos:
Sublatis epulis Rex strato surgit, & aureos
Ingreditur thalamos: sua quique ad tecta recedunt
Dimißi Proceres: solus pernoctat in aulâ
Miles, & inuisæ fugiens consortia nuptæ,
Regales inter vigiles, regalia seruat
Limina, stratus humi, curis mordacibus æger.
At verò Isaides stellato oculatior Argo
Auersam à natis, auersam à coniuge mentem
Militis obseruat, ac resciuisse maritum
Cuncta ratus, nihil, inquit, ago, conamen inane

Omne

Omne meum est, vanusque labos, immotus Vrias
Perstat, & amplexus vxoris, & oscula vitat:
Haud dubiè nudam nostros pressisse lacertos
Nescio quis retulit, iustâ vnde exæstuat irâ.
At tibi nostrorum petulans delator amorum
Quisquis es, in pœnam indicij, linguæque loquaces
Muta precor tacito stet vox affixa palato,
Osque, quoad viuas, æterna silentia claudant.
Sed quid agam? magna est temerati iniuria lecti,
Et dolor offensum iustissimus vrit Vriam:
Heu! fateor. sed amor tantâ caligine sensus
Inficit, vt quamuis videam meliora, probemq;
Deteriora sequi mea me vesania cogat.
O faciem pulchram! meritò cui victa Dione
Inuideat, túne vt nostro de pectore possis
Deleri? túne à nostris auellier vlnis?
Ah pereat potius, pereat, missusq; sub Orcum
Riualis, vitam pariter, nuptamque relinquat!
Hoc placet. Erigitur, ceráq;, stiloq; prehenso
Talia militiæ Præfecto mandat Ioab.
Primum acies inter, densis exponere telis
Sit memor Vrian: inimico saucius ictu
Quo pereat, certamque petat per vulnera mortem.
Postera purpureis fulgens aurora capillis
Pellebat tenebras orienti præuia Phœbo:
Impiger, acceptis infaustâ luce tabellis

Miles ad obſeſſæ feſtinat mœnia Rabbæ,
Ipſe ſuæ mortis gerulus : paucisq; diebus
Poſt reditum, infeſtos inter dum fortiter hoſtes
Dimicat, opprimitur, multisque à millibus vnus
Obrutus, intrepido vitam cum ſanguine fundit
Interea ſummâ ſtellantis ab ætheris arce
Mitia ſubiectis defigens lumina terris
Omnipotens, Solymi ſcelera execranda Tyranni
Conſpicit, & iuſtà grauiter ſuccenſus ab irâ
Intonat, & cælum quatit, infernamque paludem,
Conciliumq; vocat Superum : mora nulla vocatos
Detinet : accurrunt iuſſi, ſedesque capeſſunt.
Fama eſt ad ſolium magni ſublime Tonantis
Germanas aſtare duas, quarum altera claudit
Dextrum ASTRÆA *latus, ſtricto quæ vindicat enſe*
Crimina terrigenûm, damnatosq; æthere longo,
Delicijsque poli prohibet, menſisque Deorum:
Altera ſedato mitis CLEMENTIA *vultu*
Temperat infenſi metuendam numinis iram,
Et pœnas meritis veniam mortalibus orat.
Ergo vbi Cunctipotens glomeratos vndique Diuos
Conſediſſe videt; capitis bis, terve verendam
Cæſariem quaſſans, ſolio ſic orſus ab alto eſt:
Quo genus Iſacium primus complexus ab annis
Sim ſtudio, rebus tulerim quàm pronus in arctis
Semper opem, mecum Superi meminiſſe poteſtis:

Namque

Namque vt seruitium fileam, durosq; labores,
Sæcula quos Pharijs per bis duo pertulit oris,
E quibus ereptum promissâ in sede locaui.
Ecquis Erythræum, Pharaone sequente, per æquor Exod. c. 14.
Strauit iter profugo, subeuntesque obruit hostes?
Ecquis vbi in Raphidim sitienti defuit vnda, Num. 20.
Elicuit solido currentia flumina saxo?
Quis dape cælesti saturauit panis egenum? Exod. c. 16.
Ipse meum potuit testari Phœbus amorem, Ios. c. 10.
Ignipedes totam iussus cum sistere noctem,
Hæsit, & Hebræis sic cessit palma cateruis.
Porrò quot Isaidem donis, quot honoribus auxi?
Qui tenui solitus mulcere per arua cicutâ
Pascentes genitoris oues, pluuiæq;, niuiqúe
Expositus, rapidisq; feris: hoc tempore gestat
Munere sceptra meo, solijque insignis honore est.
Quid? quod Gethæum me propugnante gigantem
Vicerit, & victum proprio iugulauerit ense?
Quod duce me soceri toties euaserit astus?
Ille indigna tamen maiorum exempla secutus,
Oblitusque iræque meæ, teliqúe trisulci,
Bersabeam (infandum!) rapuit, raptaque potitus,
Coniugis innocuo temerauit sanguine dextram
Insuper. Vriæ quin cernite supplicis vmbram,
Ecce meos hic ante pedes, iustamq; petentis
Vindictam. meritas, meritas heu! perfide pœnas

Mœche dabis : meritum duplici pro crimine pendes
Supplicium : meritis, si quid mea numina possunt,
Exemplis, doceas venturos faxo nepotes,
Quid sit hero miti iustam succendere bilem.
Vix benè finierat, flexo cum poplite supplex,
Et tepido suffusa oculos CLEMENTIA *riuo,*
Talibus iratum verbis affata Tonantem est :
O Pater, ô hominum, Diuumque æterna potestas,
Ex nihilo bonitate tuâ qui cuncta creasti,
Ex nihilo bonitate tuâ qui condita seruas,
Ne te vindictæ cupidum committe videri,
Nec placida immiti tua pollue facta rigore.
Lenis es, & totum tua mansuetudo per orbem
Nota viget, nomenque tuum, laudesque canuntur.
Siste igitur calidi flagrantes pectoris æstus
O genitor : miserere tui DAVIDIS *: & olim*
Si tibi sancta viri virtus, si candida vitæ
Integritas, cultusque tui, legumque tuarum
Indefessus amor placuit; reminiscere prima
Hæc studia, & posito fulmen depone furore :
Vel si stat miserum sententia perdere Regem,
Vlciscia, scelus; saltem permitte nocentis
Explorari animum : forsan si pœnitet ausi;
Ignosces bonus, & veniâ dignabere lapsum.
Talibus orantem pacatis auribus haurit
Rex Superûm, & victâ precibus tàm mollibus irâ,

Parce

Parce pijs lacrumis, fiet quodcunque petisti
Nympha, tibi, mortem DAVID *non oppetet, inquit,*
Inpræsens: Veneris tantum, cædisq; nefandæ
Pœniteat, fletuq; duplex lauet vbere crimen.
Sic ait, & puerum aligeris de cœtibus vnum,
Lutea cui gemmis læuo dependet ab armo
Sparsa chlamys, summâ cæli demittit ab arce:
Vtq; petat sumptis Solymorum mœnia pennis,
Mandat, & Isaidæ commissa nefaria, vati
Mathano, primâ repetens ab origine pandat:
Qui grauiter Regem tantum scelus arguat ausum,
Numinis & læsi magnam fore nuntiet iram;
Ni culpam agnoscat supplex, veniamq; precetur.
Dixerat: ille altum, Zephyris per inane vocatis,
Carpit iter, scindit nebulas, atque aëra tranat
Ima petens: qualis placidi dilecta Caystri
Cum vada prospexit, superâ se pronus ab æthrâ
Mittit olor, niueasq; volans vix commouet alas.
Iamq; Salem intrârat, cum noxas prolis Iësse
Nuntiat horrendas. ad Diui verba ministri
Ingemit expallens Nathan, gressúque citato
Iussa peracturus, Regalem tendit ad aulam
Multa mouens: postquam admisso data copia fandi;
Quæris, ait, quid me tua, Rex, ad limina ducat?
Causa viæ scelus est, quod in hac modo contigit vrbe.
Diues erat, cui mille capræ, cui mille bidentes,

Mille

Mille saginati tondebant prata iuuenci,
Pauperis exiguis laribus conterminus: vnam
Qui dumtaxat ouem, magni gregis instar alebat,
Delicias Domini, tantóque fouebat amore,
Vt strato sineret secum requiescere eodem,
Et sibi, siue sitim laticis restingueret haustus,
Siue famem frustum panis compesceret atri,
Vnus vtrique cibus, potus foret vnus vtrique.
At celebraturus diues conuiuia pastor,
Præteritis ouibusque suis, & pinguibus hædis,
Abductam iugulat vicini pauperis agnam,
Atque inuitato comedendam apponit amico.
Vix ea fatus erat; subitam exardescit in iram
Dauid, & ense nefas pronunciat esse piandum.
Quem pius aspiciens obliquo lumine vates;
Audi, ait, ô generis Iessæi dedecus, audi
Quid grauis irati tibi Numinis ira minetur.
Tu tanti reus es sceleris, tu coniugis ausus
Innocui vetitâ temerare libidine lectum.
Prò superi! quanta humanum caligine pectus
Obtegitur! tené ergo Dei, nequissime Regum,
Tot benefacta leui potuisse reuellere mente?
Te, quem sidereæ qui præsidet arbiter arci,
Inter oues natum ad solij regalis honorem
Euexit, cui sceptra manu, cui fronte coronam
Imposuit, quem post tot dura pericula rerum,

Tot gladios, ignesque, exantlatosq; labores,
Tranquillâ demum victorem pace beauit.
Quid? tua cùm tantæ mens sit sibi conscia culpæ,
Molirine miser etiamnum in publica gressus,
Cæli, inquam, infelix audes conuexa tueri?
Nec scelera ad meritas tua te deposcere pœnas
Percipis? vltricem nec sentis intus Erinnyn?
Ecce dies veniet, quem non procul auguror esse,
Tristia quo patrios fœdabunt funera vultus, 1. 2. Reg. cc. 3. & 15.
Et tua progenies profugo tibi bella mouebit.
Deferat vates: Regi per dura cucurrit
Frigidus ossa tremor, buxoque simillimus ora
Pallor obit, largoque humectans flumine malas,
Peccatum agnoscit supplex, noxamque fatetur:
Et mœstus solio descendens, anxia duris
Pectora sollicitat pugnis, scelerisq; peracti
Inculpans oculos, nasci sine luminis vsu
Non potuisse dolet: sceptrum non amplius illi,
Non diadema placet, non tinctæ murice vestes,
Non amor est illi curæ: sed pectore toto
Iustitiamq;, iramque Dei, mœchisq; paratum
Supplicium, & cæsi miserabile crimen Vriæ
Deputat, atque sibi semper tellure videtur
Absumi, aut rapido transfigi fulminis ictu.
Quid multis opus est? quo vates pluribus ægrum
Solatur, luctumq; leuat, largisq; gementis

Fletibus offensi placatam numinis iram
Affirmat; magis hoc, magis ambigit. vtq; sinistrâ
Si Magnes, Adamas dextrâ si parte locetur,
Atque acus in medio; cæcis vtrimque vocata
Illicijs, vtri potius parere duorum
Debeat, ignorat, paretq; incerta duobus:
Haud aliter DAVID *dubijs affectibus errat,*
Spemq;, metumq; inter: nunc huc, nunc mobilis illuc,
Distrahitur, neutrumq; sequens, propendet vtroq;.
Sylua vetus stabat regalia limina iuxtà,
Et specus in syluâ nigrantibus horridus vmbris,
Muscosóque situ, scabroq; à pumice canus:
Hunc subit, & tristes latebras Iesseius heros
Questibus exululans, & suspiratibus implet.
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abstrahit hinc: vdâ tantum proiectus in herbâ
Indulget lacrumis, & conscia pectora plangit.
Plangenti gelidis Dea vallibus assonat Echo,
Atque interruptis quoties singultibus, eheu
Rex mœrens iterat; totidem singultibus, eheu
Ad Regis gemitus vocalis Nympha remittit.
Denique luminibus spectans humentibus antrum,
Tu certè tenebrosa domus, mea regia posthac
Semper eris, carcerque meus, dum spiritus, inquit,
(Quod precor ó breue sit!) vitales hauriet auras:
Tu modò, tu miseri memor hospitis, omnibus annis

Ærum-

Ærumnas, gemitusque meos resonare memento:
Fac illos memorum frondes, vndaque susurrent.
Et vos ô tacitam lustrantia sidera noctem,
Æterni testes lacrumarum estote mearum:
Lætaque ceu nostræ meministis gaudia vitæ:
Sic subeant nostri per sæcula cuncta dolores.
Finierat questus: citharam gemebundus eburnam
Increpat, & pulsis sociat sua carmina neruis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf